

TITULUS XII.

DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO. ^a

446. *Nota*, nomine *Scrutini* hic non venire modum eligendi, sicut *c. 42 de elect.*; nec examen catechizandorum, sicut *c. 2 de capell. monach.*; sed examen ordinandorum super ætate, moribus, aliisque qualitatibus ad ordinationem necessariis. Tale scrutinium est triplex. Primum fit à Parocho, vel ab alio deputato, qui Sacris initiandos publicè in Ecclesia uno mense ante ordinationem proponit, inquirendo de illorum idoneitate (*Trident. Sess. 23. c. 5 de reform.*) Hoc scrutinium in multis diocesisibus, præsertim Germaniæ non est in usu, sed sufficiunt litteræ testimoniales magistrorum.—Secundum fit ab Episcopo, vel ejus Vicario, aliisque examinatis deputatis feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur (*Trid. Sess. 23 cap. 7 de refor.*) *In Constit. Bened. XIV. Et si minimè 7 Febr. 1742* monentur Episcopi, ut in hoc scrutinio potissimum inquirent circa scientiam doctrinæ christianæ; utque promovendi docere debeant, se in instruendis hac ipsa ordinatione, dum Episcopus de ordinandis in Diaconos et Presbyteros, interrogat Archidiaconum, aut sacellanum: *Scis illos dignos esse? et iste respondet: Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii. (c. un. h. t. et Pontif. Roman.)*

447. Q. I. *Quid inquiretur in scrutinio secundo?*

R. 1.º *Genus*, an ordinandus natus sit ex parentibus catholicis, ingenuis, legitimo toro conjunctis, an baptizatus. Origo ex neophyto, vel judæo plerumque non obest.—2.º *Ætas* legitima.—3.º *Titulus* mensæ.—4.º *Persona*, an sit irretita censuris, vel irregularitate.—5.º *Institutio et mores*, fides catholica et alia de quibus tit. præced. n. 442.—6.º *Deniquè doctrina*, quæ probanda est per actuale examen, cui omnes ordinandi etiam Regulares subjiciuntur (*Trid. cit. Sess. 23. c. 12 de ref.*), nisi specialiter sint exempti. Vide notata Elencho VI. n. 45.

448. Q. II. *An ordinandus teneatur in examine prodere suum defectum occultum, solo jure Ecclesiastico impeditivum ordinationis?*

R. Negat Pichler; sed melius, affirmativè. Ità Abb. König. etc. Nam talem obligationem satis indicant apertè Sac. Canones: enim (*c. 55 et 56. d. 50 c. 5 d. 81.*) jubentur deponi qui ordinationis tempore se non prodiderunt suisse lapsos, aut pœnitentes, aut alio modo contra regulas ecclesiasticas irrepererunt ad sacram militiam; depositio autem supponit culpam gravem. Ratio est, quia Episcopus habet jus interrogandi ordinandum, an aliquo

^a—De hoc agitur in Decreto *c. 2 et seqq. d. 23 et d. 24 et 51. c. 5*—et in *Trident. Sess. 23. cap. 7, 12, 16, de reform.*

defectu laboret; ergò interrogatus habet obligationem fatendi veritatem, alioquin sacri canones facilè eluderentur in maximum dispendium disciplinæ ecclesiasticæ: tum quia sequerentur plurima incommoda, si ex postfacto talis defectus innotesceret. Nec in tali casu ordinandus cogitur se diffamare, quia abstinendo ab ordinatione, nullam infamiam incurret: favor autem ordinis non aliter ei conceditur, quàm sub conditione habilitatis à jure requisitæ.

449. Q. III. *An Archidiaconus, privata notitia sciens aliquem indignum, in tertio scrutinio ab Episcopo interrogatus, possit respondere ordinandos dignos esse?*

R. Affirmativè: nam interrogatur et respondet ut persona publica, sub qua ratione verum dicit ex notitia publica, quòd scilicet ordinandi sint publicè digni, seu pro talibus habeantur. Si tamèn defectus iste priùs ei innotuit, tenetur admonere Episcopum et ordinandum, si hæc admonitio profutura speratur; vel pro hac vice declinare munus præsentandi. At si defectu probationum nullum sperat effectum, nec officium præsentandi declinare valet, sequi poterit responsonem mòx datam.

450. Q. IV. *Quæ sit pœna ordinantium, et ordinatorum sine scrutinio?*

R. 1.º Ordinans ignotum, de cujus idoneitate non constat, arbitrariè punitur: ordinans verò cum notitia impedimenti, privatur postestate ordinandi, (*c. 55 d. 50.*) Ordinatus furtivè sine scrutinio, suspendendus est ab exercitio ordinis (*c. fn. d. 24.*), donèc Episcopus cum illo dispenset.—2.º Non detegens in examine suum defectum, si is postea detegatur, deponi jubetur, (*c. 55. d. 50.*) Ordinatio tamèn furtivè irrepentis est valida, nisi Episcopus expressam contrariam voluntatem haberet tales non ordinandi: quæ tamèn non præsumitur, cum protestatio Episcopi sit tantum comminatoria, et cujusdam disciplinæ significativa.

A qua tamèn protestatione præstat, ut Episcopus absteineat, ne cum maximo totius christianæ Republicæ detrimento, et perturbatione dubii, atque incerti ministri sacris ministeriis addicantur: ut optimè monet *Bened. XIV. (lib. VIII. de Synod. dicec. cap. 44. n. 4.* Vide addita *tit. XI de temp. ord. post. n. 44.*

TITULUS XIII.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO QUI RENUNTIAVIT EPISCOPATUI VEL EXCOMMUNICATO. ^a

451. Q. I. *Quid statuatur in hoc titulo?*

^a—Agitur de hac materia *Can. 18. ventum 1. q. 1. et Can. 24. et seq. 1 q. 7. et 9. q. 1.*

R. 1.^o Episcopus, qui renuntiavit Episcopatu, cum desinat esse proprius, jure ordinario nullos ordines conferre potest, (*arg. c. 1. h. t.*)

2.^o Qui renuntiavit loco et officio simul, hoc est, abdicando se cura Episcopali, et derelinquendo titulum ac dignitatem Episcopi, ex delegatione et licentia proprii Episcopi conferre potest solum ordines minores, cum hos conferre valeant Abbates et alii Sacerdotes ex delegatione; non tamen majores, cum hos conferre sit proprium Episcopi; is vero, qui renuntiavit loco et officio, non dicitur amplius Episcopus. *Vide Elenc. II. n. 169. ** At si renuntiavit tantum loco, seu administrationi Episcopali, ex delegatione conferre potest ordines majores, cum adhuc retineat titulum et dignitatem Episcopi (*c. 1 h. t.*)

3.^o Scienter ordinati ab Episcopo renuntiante loco et officio, suspenduntur ab executione ordinum, donec dispensentur à Papa; at ignoranter ab eo ordinati, suspenduntur quidem, donec ab Episcopo proprio dispensentur. Hæc tamen suspensio non est proprie censura, sed quædam irregularitas, quæ etiam ab ignorante incurri potest. *ibid.*

4.^o Ignoranter ordinati ab Episcopo excommunicato, suspenso, deposito, vel hæretico dispensari ad exercitium ordinum possunt à suo Episcopo successore excommunicati, aut depositi: imò probabiliter ab eodem Episcopo, ubi fuerit absolutus à censuris (*cap. fin. h. t. Canon ordinationes 9. q. 1.*); at cum scienter ita ordinatis solus Papa dispensat (*arg. à 5. cap.*)—Ceterum ordinationes à quocumque vero Episcopo factæ, etiam à degradato, et hæretico, ceteris concurrentibus sunt validæ, cum procedant à characterè Episcopali, licet dicantur irritæ et nullæ quoad effectum, seu executionem ordinum susceptorum: quo sensu explicantur *Can. 1. et seqq. 9. q. 1.*

TITULUS XIV.

DE AETATE, QUALITATE ET ORDINE PRÆFICIENDORUM. ^a

Nota, Clericos ordinibus initiatos solere præfici beneficiis et dignitatibus; ne vero inepti præficerentur, provisum est à Sacr. Canonibus, quæ ætas, qualitas, et ordo in præficiendis sint necessaria.

152. Q. I. *Quæ ætas requiratur in præficiendis?*

R. 1.^o Ad Papatum nulla ætas est præfinita; decet tamen Papam esse in ætate, in qua Christus prædicare cœpit, scilicet triginta annorum, quæ ætas requiritur in Episcopis. (*c. 7. de Elect.*) At pro Cardinalatu, ex Const. Sixti V. incip. *Postquam*, non requiritur major ætas, quam quæ

^a—De hac materia agitur in Sexto et Clem. *h. t.*—In Decreto *d. 21. 23. 24. etc. d. 49. 50. 51. 59. 60. 78. et in 9. q. 1. 2. et in 13. q. 8.*—In Trid. *sess. 7. c. 3. sess. 22. c. 2. sess. 23. c. 6. de ref. sess. 25. c. 21. 22. de Regg. et sess. 25. c. 7. de refor.*

sufficit ad eorum ordinem Diaconatus, vel Presbyteratus, vel Episcopatus.

2.^o Ad Archidiaconatum verò, et alias dignitates inferiores Episcopatu, uti etiam ad beneficia curata, quibus principaliter annexa est cura animarum, requiritur annus vigessimus quintus inchoatus. (*c. 7. de elect. Trid. sess. 24. c. 12. de ref.*)—Ad alias verò dignitates et personatus, quibus cura animarum non subest, vel non nisi accessoriè et secundariò, sufficit et requiritur annus vigessimus secundus completus, cum Trid. *loc. cit.* dicat: *non sit minor 22 annis.*

3.^o Ad Canonicatus, præbendas, et portiones Ecclesiæ cathedralis sufficit ea ætas, ut infra tempus à jure præscriptum, hoc est, intra annum, recipi possit ordo sacer, quem talis Canonicatus, præbenda, aut portio requirit *Trid. ibid.*

4.^o Ad beneficia simplicia inferiora, item ad Canonicatus Ecclesiæ collegiatæ, etiam insignis, cum de his nihil speciale statuatur, sufficit annus decimus quartus inchoatus, *Trid. sess. 23. c. 6. de ref.*; nisi in fundatione minor vel major ætas requiratur.

Cum ætas ad beneficia præfinita sit à jure communi, nullus Papa inferior in ea dispensare potest *c. 2. h. t.*, ubi institutio secus facta dicitur omninò viribus carere. At si ætas requiratur solum ex particulari statuto, poterit in ea Episcopus dispensare. In dubio antecedente promotionem, promovendus probare debet, se esse in legitima ætate, cum in ea fundet suam intentionem (*l. 44. ff. de minorib. l. 9. C. de probat.*); at in dubio consequente, ætas præsumitur in promotò; et impugnans promotionem probare debet, tempore promotionis non adfuisse legitimam ætatem.

153. Q. II. *Quæ qualitates requirantur in præficiendo?*

R. Hæc duæ: *gravitas morum et litterarum scientia* (*c. 7. de elect.*); sub quibus ceteræ continentur, quas in ordinando et eligendo requiri suis locis dictum est. Undè iis casibus, quibus ob defectum alicujus qualitatis in eligendo redditur electio irrita, etiam irritam esse collationem, communis DD. asserit.

Juxta Triden. (*sess. 22. c. 2. et sess. 23. c. 18 circa finem ibi: de cetero verò officia, et sess. 24. c. 8. 12. 16. de ref.*) tanta in præficiendis requiritur scientia, ut Episcopi, scholastici, archidiaconi, vicarii generales Episcoporum, canonici pœnitentiarum, prælati jurisdictionem in foro externo habentes sint magistri, vel licentiati Sacræ Theologiæ, vel Sacrorum Canonum; quia his maxime incumbit docere et judicare secundum Sac. Canones.

Quod tamen non ubique servatur, cum scientia ista per alios suppleri possit, ut proinde sufficiat scientia mediocris. Si verò Regularis promovendus est in Episcopum, non requiritur in eo gradus, et testimonium ab universitate datum, sed sufficit quòd à superioribus suæ Religionis similem fidem de doctrina theologica, aut Canonica habeat (*Trid. cit. sess. 22. c. 2. de refor.*)—Ceteri proportionaliter suo beneficio scientiam sufficientem habere debent v. g. Parochus circa ea quæ ad populum instruendum, et Sacramentorum administrationem sunt necessaria etc.

Ceterum collatio facta prorsus illiterato est ipso jure nulla; facta verò

minus litterato, est irritanda, cum sit contra Sac. Can. (c. 17 et 22. *de elect.*); nisi intra breve tempus beneficiarius necessariam sibi scientiam comparare vellet.

154. Q. III. *An ex fundatione, statuto aut consuetudine in praeficiendo requiri possint aliae qualitates praeter a jure com. statutas?*

R. Affirmative: nam honestae conditiones, et dispositiones circa praeficiendos permittuntur a jure. Sic Trid. (sess. 24. cap. 12. *de reform.*) ait: *ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes Canonici sint Presbyteri, omnino observetur.*

An vero consuetudo, quae viget in quibusdam Ecclesiis cathedralibus, praesertim Germaniae, non recipiendi in Canonicos, nisi nobiles ceteroquin dignos, sit licita et rationabilis? merito dubitant DD. Affirmant Pirghing. Schmalz. Pichler etc. Multi vero dicunt esse corruptelam, quam Papa tolerat ad majora mala evitanda. Greg. IX. talem consuetudinem antiquam inviolabiliter observatam in Ecclesia Argentinensi rejicit, subdendo rationem summa ponderatione dignam: *quod non generis, sed virtutum nobilitas, vitaeque honestas gratum Deo faciunt et idoneum servitorem, ad cujus regimen non multus secundum carnem nobiles et potentes elegit, sed ignobiles ac pauperes, eo quod non est personarum acceptio apud ipsum.*

155. Q. IV. *An sub gravi obligatione dignior praeficiendus sit praeminus digno?*

R. Affirmative: et opposita sententia damnata est ab Innoc. XI. n. 47. (*Prob. ex Can. 19. d. 63.*) ubi Leo Papa rescribit optimum esse praeficiendum. Et S. Hier. in *Can. 13 licet 8. q. 1.* recte ait, eligendum esse Sacerdotem, seu Episcopum, qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior. Et Trid. Sess. 24. c. 1. *de reform.* gravissimè inculcat hanc obligationem, dicendo electores et alios collatores, alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, praefici diligenter curaverint. Ratio est, quia, ut loquitur Trid. sess. 6. c. 1. *de reform.*, Ecclesiasticum regimen est onus angelicis humeris formidandum; ergo ad illud eligendi sunt digniores, et quantum fieri potest dignissimi. Tum, quia eligendo minus dignum praedigniore, Ecclesiae multum noceatur, aperitur via ambitionis, inducitur periculum eligendi indignum, dum hoc ipso, quod quis non appareat indignus simpliciter, judicatur dignus: denique committitur acceptio personarum, quae ex genere suo est peccatum mortale contra justitiam distributivam, cum attribuatur personae aliquid praeter proportionem dignitatis suae; ergo. (Vide S. D. 2. 2. q. 63. a. 2. et seq. et q. 485. a. 3.)

Porrò, ille dicitur simpliciter dignus, qui praeditus est omnibus qualitatibus jure requisitis; et qui in his qualitatibus excellit, dicitur dignior: qui vero harum qualitatum aliqua caret, vocatur indignus. Est autem major dignitas desumenda, non praecise ex majori pietate, vel scientia, vel nobilitate; sed ex omnibus animi et corporis dotibus, ita ut praeficiendus, melior et utilior Ecclesiae credatur futurus.

Haec doctrina procedit in praeficiendis Episcopis, maximè Romano, Cardinalibus, praelatis saecularibus et regularibus, curatis animarum, imò et

simplicibus beneficiatis (c. un. ut *Eccl. benefic.*); licet promotio digni praedigniore, si raro fiat, ad beneficium simplex, non videatur excedere veniale.

156. Q. V. *An dentur aliqui casus, in quibus praeficiatur dignus, omisso digniore?*

R. Affirmative:—1.º si renuntiationes fiant ex causa permutationis:—2.º Si patronus laicus praesentet dignum, et idoneum; tunc enim Episcopus tenetur eum instituere, licet alioquin patronus peccet, Trid. (sess. 24. c. 18. *de ref.*) Episcopus autem, et patronus Ecclesiasticus, ubi concursus ad beneficia viget, tenentur ad digniorem, alioquin provisio erit subreptitia; *ibid.*—3.º Elector, ad impediendam electionem indigni, potest suffragari digno praedigniore, quia sic magis procurat bonum Ecclesiae.—4.º Si excessus dignitatis in uno ex pluribus non sit valde notabilis, vel de eo dubitetur; quia tunc parum pro nihilo reputatur.

157. Q. VI. *An, et cui teneatur ad restitutionem, qui relicto digniore, praefecit Ecclesiae minus dignum?*

R. 1.º Tenetur ad restitutionem et reparationem omnium damnorum, quae ex tali provisione obvenierunt: nam laesit justitiam commutativam, cum ex quasi contractu obligatus fuerit procurare majus bonum Ecclesiae.—2.º Ipsi autem digniori omisso, saltè extra concursum, et si dolo malo eum non impedit a consequitione beneficii, probabilius non tenetur ad ullam restitutionem: tum quia dignior non habuit ullum jus quaesitum actu: tum quia laesa solum est respectu illius justitia distributiva; restitutio autem est actus justitiae commutativae. (S. D. 2. 2. q. 62. a. 1.)

158. Q. VII. *Quis ordo requiratur in praeficiendis?*

R. 1.º Ad beneficium quodcumque eccl. praerequiritur in praeficiendo saltè prima tonsura: nam per c. 6. *de Transact.* beneficii capax non est, nisi sit actu clericus. *Excipe* Papatum, quia ad hunc electo opponi nequit quod sit laicus, (c. 6. *de elect.*)—2.º Ad Cardinalatum requiritur ordo gradui proprius, cum Cardinales supremi sint episcopi, medii Presbyteri, et infimi diaconi. Sufficit autem, si intra annum talem ordinem suscipere possint.—3.º Promovendus in Episcopum debet esse antea subdiaconus, saltè per sex menses. (c. 9. *h. t.* Trid. Sess. 22. c. 2. *de reform.*) Ceteros autem ordines intra tempus a jure praescriptum suscipere debet. *Vide Elencho. VI. n. 39.*—4.º Ad dignitatem, vel praebendam, cui cura animarum in foro interno aut externo principaliter annexa est, requiritur Presbyteratus, saltè intra annum suscipiendus. (c. 1. *h. t.*—Canonici, cathedralis habentes vocem in capitulo, debent esse saltè subdiaconi, vel diaconi, et media pars Presbyterorum.) Trid. sess. 24. cap. 12. *de reform.*—In ceteris praeficiendis ad alia beneficia quoad ordines nihil speciale a jure determinatum est, sed observanda erit consuetudo, voluntas fundatorum etc. *Vide Addit. ad tit. 5. de Praeb.*

TITULUS XV.

DE SACRA UNCTIONE. ^a

459. *Nota*, Titulum istum incidenter hic poni, quia in ordinationibus clericorum unctiones adhibentur. Agitur autem hic non de unctione *interiori* per gratiam, sed de *exteriori*; quæ secundum ritum Ecclesiæ fit per oleum, aut simplex, aut balsamo mixtum, seu chrisma ab Episcopo benedictum. Uctiones sacramentales sunt quinque, scilicet; in consecratione Episcopi, in ordinatione Sacerdotis, in Sacramento Baptismi, Confirmationis, et extremæ Uctionis. Extrasacramentales sunt; in coronatione Regum, dedicatione altarium et Ecclesiarum, benedictione calicum.

460. Q. I. *Quo oleo quid ungendum sit?*

R. 1.^o Papa chrismate ungitur in capite, ad significandam personam Christi summi capitis; et Episcopus in capite et manibus.—2.^o Sacerdos oleo simplici catechumenorum ungitur in manibus, et Reges in brachio dextro ad significandum principatum.—3.^o Baptizandus ante baptismum ungitur in pectore et scapulis oleo catechumenorum; post baptismum verò chrismate in capite.—4.^o Confirmandus chrismate signatur in fronte.—5.^o Oleo infirmorum ungentur soli moribundi.—6.^o Ecclesia in dedicatione in parietibus, et calices in superficie ungentur chrismate; altaria verò prius oleo simplici, deinde chrismate in cornibus. (*Can. 32. d. 4. de Consecr.*)

461. Q. II. *An unctiones istæ sint de essentia baptismi, ordinis Episcopalis et Sacerdotalis?*

R. Negative; nam—1.^o tota essentia baptismi salvatur in ablutione per aquam elementarem, et verbis *ego te baptizo* etc.—2.^o Consecratio episcopalis salvatur in impositione manuum cum sua forma, et ordinatio sacerdotalis in traditione patenæ cum hostia et calicis cum vino in ordine ad verum corpus Christi, et in impositione manuum in ordine ad corpus Christi mysticum. Unde unctiones istæ sunt ritus solum accidentales, sub gravi tamen obligatione adhibendi: et si omissi sunt, suplendi, (*c. un. h. t.*) At unctio chrysmatica in confirmatione, et unctio infirmorum sunt essentialia sacramento confirmationis et extremæ unctionis, quia alias forma non verificaretur. Ceterum, oleum simplex est materia dubia confirmationis; adeo quein praxi sequenda est sententia tutior, docens chrisma esse de essentia confirmationis, conformiter Conc. Florentino in *Decr. union.* de quo plura theologi. Oleum autem catechumenorum et infirmorum, licet diversas benedictiones habeant, substantialiter non differunt, adeoque unum usurpatum pro altero non vitiat unctionem.

^a—De hac agitur d. 64. 65. 95. et d. de Consecr. per plures Cann.—In Trident. sess. 7. Can. 1. et seq. de confir. et sess. 14. cap. Visum est cum seqq. de sacr. extrem. unction.

462. Q. III. *An consecratio chrysmatis à Papa committi possit simplici Presbytero?*

R. Negative; quia in Florentino benedictio chrysmatis ab episcopo faciendâ ponitur per modum substantialis requisiti. Quod ipsum probat traditio et usus Ecclesiæ. Porro, oleum istud debet esse propriè tale, seu olivarum, et tam hoc, quam chrisma, novum, seu hoc anno ab episcopo benedictum. (*Can. 48 de Consecr. d. 3.*) In casu urgentis necessitatis potest adhiberi vetus, uti et in minori quantitate de oleo non benedicto affundi potest ad benedictum, cum major pars benedicta trahat ad se minorem non benedictam, ex Ritual. Rom. de extr. unct. et. decr. Sac. Inquisitionis 23. Sept. 1682. Significat autem oleum nitorem conscientiæ, et balsamum odorem bonæ famæ, *c. un. h. t.*

Confirmationis Sacramentum respectu baptizatorum à Presbyteris Græcis in Instructione Bened. XIV. ad Missionarios in universo Ægypto etc. *Et quamvis 4. Maji 1745. §. 4. Quod attinet* declaratur: quòd, quamvis Græcis incolis Italiæ, et insularum adjacentium expressè vetita sit administratio confirmationis illicò post baptismum ab eodem ministro facta, ex patientia tamen et facilitate S. Sedis ab eodem sacerdote in Oriente simultaneè græcis confertur.

In Constit. autem ejusdem Pontif. *Etsi Pastoralis. (6. Maji 1742. de Dogmatibus et ritibus ab Italo-Græcis tenendis, atque servandis)* hæc statuuntur §. 3.: Ut episcopi latini infantes, seu alios in suis diocesisibus baptizatos à græcis presbyteris absolutè chrismate in fronte consignatos confirmet: sub conditione tamen, si verosimiliter dubitari possit, an ab episcopis græcis, ordinem baptismi juxta eorum euchologium servantibus, fuerint baptizati, Sic etiã confirmare debent, si ex dispensatione Apostolica græcum aliquem ordinaverint, baptizatum à presbytero græco in Italia vel adjacentibus insulis, similiter sub conditione, si rationabile dubium esse possit, an ab episcopo græco fuerit baptizatus. Confirmatus verò à simplici sacerdote non est cogendus, ut confirmetur ab episcopo, si ex tali coactione scandala oriri possint; monendus tamen est à locorum ordinariis, eum graviter peccare, si cum possit confirmari, renuat ac negligat. Ubi græcus catholicus episcopus haberi potest, latini ordinarii curare debent, ut ab illo potius quam à se, ut supra, baptizati confirmentur (§. 4.) Ut presbyteri græci cogi nequeant alia olea præter chrisma ab episcopis latinis accipere; et prohibentur illud accipere ab episcopis schismaticis, et etiã à quocumque alio episcopo latino, seu græco catholico, præter suum ordinarium latinum. De extrema unctione vide Elench. VI. n. 20. et 21. "

TITULUS XVI.

DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS. ^a

463. Q. I. *Quot Sacramenta sint initerabilia?*

R. Tria, quæ characterem imprimunt: *Baptismus, Confirmatio et Ordo*. Si quid accidentale omissum est, cæremoniæ suplentur: si verò quid substantiale in materia et forma non fuit adhibitum, Sacramentum de novo cum solitis cæremoniis conferri debet; quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum (*cap. fin. de Presb. non baptiz.*)—2.º Si in confirmatione non chrismata, sed oleum simplex est adhibitum, probabilius iteranda est in chrismate (*c. 4. h. t.*), quia reipsa non iteratur, sed suppletur defectus substantialis. Idem dic, si in ordinatione sacerdotis omissa est manuum impositio, vel aliud quid substantiale.—3.º Si Episcopus unctus est oleo et balsamo artificiali, non est repetenda unctio: tum quia hæc non est de substantia consecrationis episcopalis tum quia ita respondit Sedes Apostolica de hoc consulta.

464. Q. II. *An consecratio, vel benedictio rerum iterari possit?*

R. Regulariter loquendo negativè: nam *c. 2. h. t.* talis iteratio prohibetur. Ratio est, quia benedictio stabiliter adhæret rei; ergò quamdiu res manet, censetur manere benedictio. Unde—1.º Sacrarum vestium benedictio non iteratur, nisi, destructa formâ, vestes esse desinant.—2.º Calix, detrito auro, non est reconsecrandus, cum priorem formam non amittat: ob quam rationem aliqui DD. putant, calicem de novo in superficie deauratum non esse reconsecrandum: sed oppositum videtur verius, quia per deaurationem inducitur nova superficies contactiva Sanguinis Christi; ergò cum consecratio calicis fiat propter superficiem contactivam Sanguinis Christi, et superficies nova non consecrata adveniat, hæc consecranda est. Vide hic nostras resolutiones Canonicas. At contra, si Ecclesia consecrata dealbetur, non est reconsecranda, quia consecratio Ecclesiæ non fit propter contactum: ergò etsi nova superficies per dealbationem ei adveniat, non tollit priorem consecrationem. Plura de his *tit. 40. de consecrat. Eccl. lib. 3.*

465. Hactenus de ordinationibus; nunc de quibusdam impedimentis seu defectibus ordinandorum, qui dicuntur irregularitates, de quibus generaliter *lib. V. tit. de pæn.* quique his versiculis comprehenduntur:

*Infirmus, demens, vitiatus, fœmina, servus,
Infamis, novus, ignorans, baptisate peccans,
Ordineve, occidens, mutilans, bigamusque, nothusque,
Hæresis, obstrictus, pauper, puer exulat aris.*

^a—Agitur de hac materia in Decreto *d. 68. Can. 3. et Can. 21. Saluberrimum in fin. 1. q. 7. et Can. 84. et seqq. d. 4. de Consecr.* De reiterantibus baptisma est specialis *tit. 9. lib. 5.*—In Codice *lib. 1. tit. 6.*—In Trid. *sess. 7. Can. 9.*

Infirmus est, qui laborat morbo diuturno incurabili, ut epilepsia, seu morbo caduco, paralysi, furore etc. Nomine *fœminæ* venit hic hermaproditus, præsertim is sexus fœmineus prævaleat. *Novus*, est neophylus recens baptizatus. *Peccans* baptismate vel ordine, qui baptisma vel ordinem reiterat, vel suspensus ordinem exercet, ut dicitur *lib. V.* Nomine *obstricti* venit obligatus ad ratiocinia. Nomine *pauperis* non venit pauper honestus, sed persona vilis contenta sub infamibus. Nomine *pueri* venit infans, non habens usum rationis. De ceteris, vel jam dictum, vel suis locis dicitur.

TITULUS XVII.

DE FILIIS PRESBYTERORUM ORDINANDIS, VEL NON. ^a

466. *Nota*, hanc rubricam esse unam de illis, quæ sunt strictiores nigro, seu textu supposito juxta illud: *Rubrum aliquando est amplius nigro, et nigrum aliquando est amplius rubro*; nam hic non tantum agitur de filiis Presbyterorum, sed etiam de aliis illegitimè natis ordinandis, vel non; ut in aliis exemplaribus manuscriptis additur. Sunt autem *illegitimi*. qui nati sunt ex parentibus legitimo matrimonio non conjunctis. Tales sunt—1.º *Naturales*, seu *nothi*, aut *bastardi*, qui nati sunt ex parentibus solutis, inter quos matrimonium consistere potuit tempore conceptionis, vel saltè nativitatibus, aut intermedio.—2.º *Spurii* de jure can. dicuntur, qui nati sunt ex parentibus, inter quos matrimonium uno ex his tribus temporibus consistere non potuit, propter aliquod impedimentum dirimens: et horum aliqui dicuntur nati ex damnato coitu, ut adulterio, et incestu; quod si incestus fuit in linea recta, nati ex sacrilegio propter solemne votum castitatis, et nati ex eo dicuntur *nefarii*. Quidam de jure civili dicunt etiam illos esse spurios, qui nati sunt, non ex concubina, sed alia meretrice.—Deniquè jure can. etiam illi habentur pro illegitimis, qui nati sunt ex parentibus matrimonio junctis, ex quibus tamèn uterque, vel alteruter emisit votum solemne castitatis in Religione, aut sacro ordine.

467. Q. I. *Qui ob defectum natalium sint irregulares?*

R. 1.º Illegitimè nati extra matrimonium (*cap. 1. h. t. in 6.*), nisi dispensentur.—2.º Nati ex matrimonio legitimo, sed geniti postquam pater assumpsit sacrum ordinem cum licentia uxoris (*c. 14. h. t.*); cujus dispositio comprehensivè ampliatur ad patrem Diaconum et Subdiaconum, propter votum solemne castitatis. At jure civili ita nati habentur pro legitimis in ordine ad hæreditatem et jura filiorum.

468. Q. II. *Quomodo illegitimi habitari possint ad ordines et beneficia?*

R. 1.º Per subsequens matrimonium.—2.º Per restitutionem natalium

^a—De his agitur in Sexto, *h. t.*—In Decreto *d. 56.*—In Trid. *sess. 25. cap. 15.*

rescripto Papæ factam.—3.º Per dispensationem.—4.º Per professionem Religiosam.

Priores duo modi non habent ullam difficultatem, cum per illos filii evadant legitimi, ac si ex legitimo matrimonio nati fuissent. Circa duos posteriores aliqua hic resolvenda sunt.

469. Q. III. *Quis dispensare possit cum illegitimis?*

R. 1.º Ad ordines sacros, beneficia curata, dignitates et personatus solus Papa dispensare potest, etsi illegimitas sit occulta, (c. *fn. h. t. et c. 1. eod. in 6.*), nam inferior relaxare nequit jus superioris, præsertim cum hoc districtè prohibeatur *cit. c. fn.*—Nec obstat Trid. *sess. 24 c. 6 de ref.*; nam ibi conceditur Episcopo facultas dispensandi in irregularitatibus occultis ex proprio delicto ortis, non ex alienis, uti est irregularitas ex defectu natalium. Notat tamèn Schmalz, Episcopum dispensare posse cum eo qui bona fide, ignarus suæ illegimitatis, sacros ordines suscepit, in eis ministrare possit, modò impedimentum sit occultum.—2.º Ad Ordines minores, et beneficia simplicia, quibus non est annexa dignitas, personatus, vel sacer ordo, uti annexus est Canonice cathedralis, dispensare potest Episcopus et alii Prælati in suo territorio jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes (c. *1. h. t. in 6.*) Porrò, dispensatio super illegimitate, cum sit odiosa, et exorbitans à jure communi, strictè est interpretanda. Undè in dispensatione *ad ordines* non veniunt majores, sed minores; ad *Episcopatum* non venit Archiepiscopatus; ad *beneficia* non veniunt curata, dignitates, personatus, canonicatus cathedralis, sed simplicia etc.; nam qualitates excellentiores sunt speciali nota dignæ; ergò non veniunt in dispensatione, nisi exprimantur.

Cum in litteris dispensationis ad sacros ordines apponatur clausula à Sede Apost.: *dummodò paternæ imitator non sit*, ex decr. Cong. Conc. (23. Decemb. 1596. *relat. à Benedicto XIV. lib. XIII. de synod. c. a. 22.*), huic non aliter per Episcopum exequutorem satisfiit, *quàm in quærendo, quod nihil bonis moribus indignum compererit*. Quòd si integro decennio dispensandu probè vixit, debet exequi litteras dispensationis, quamvis priùs incontinentiæ nomine suspectus esset. Sed hoc casu debet Episcopus accuratius inquirere ad diluendam prioris vitæ suspicionem. **

470. Q. IV. *Ad quid professio religiosa habiliet illegitimos?*

R. 1.º Ad omnes ordines, etiàm sacros, (can. *1. d. 56, et c. 1. h. t.*) ibi *nisi fiant monachi*, putà sequuta professione: nam hunc favorem meretur Status Religiosus.—2.º Professio non habiliet illegitimum ad Prælaturas et dignitates (*cit. c. 1. h. t.*) ibi: *prælationes verò nullatenus habeant*. Ad capitulum generale, vel provinciale, ex concessione Sixti IV., quam, non obstante revocatione Sixti V., renovavit Greg. XIV, potest cum Religioso illegitimo dispensare ad prælaturam. Secùs, extra talia capitula dispensare in hoc jure communi potest solus Papa.—3.º Itèm ex constit. Greg. XIV. incip. *Circumspecta* (1590. *idib. Martii §. 2 et 3*), *vivente patre* filius illegitimus non potest in idem monasterium, vel eandem Religionem admitti, ne paterni criminis memoria refricetur.

Vide Const. Clem VIII. *In suprema* reducentis ad terminos juris

Constitutionem Sixti V., salvis tamèn pœnis contra Superiores admitentes ad habitum vel professionem illegitimos, non servata forma scrutinii ab eodem Sixto præscripta in prima sua const. *Cum de omnibus*. **

471. Q. V. *Quid disponatur speciale hic circa filios Presbyterorum?*

R. Filii illegitimi non possunt promoveri ad ullum beneficium, vel ex officio ministrare in illa Ecclesia, in qua pater eorum habet, vel antea habuit beneficium quodecumque; promoti verò, indè amovendi sunt (*cap. 2. 4. 45. 46. hoc tit. et Trident. sess. 25. c. 15 de ref.*): ubi ratio datur: *ut paternæ incontinentiæ memoria locis Deo sacratis longissimè arceatur*.—2.º Filii legitimi Presbyterorum, qui ex matrimonio ante sacrum ordinem inito procreati sunt, possunt in eadem Ecclesia simul vel successivè obtinere diversa beneficia (c. *12. h. t.*); at in eodem beneficio filius immediatè non potest succedere patri, nisi mediet extranea persona (Trid. *sess. 25. c. 7. de ref.*), ut evitetur hæreditaria successio sacris constitutionibus odiosa, et Patrum decretis contraria.

Ex decretis Cong. Conc. (*relat. à Bened. XIV. lib. XIII. de Synod. diac. cap. 24.*), filius illegitimus patris jam defuncti, neque potest audire confessiones in Ecclesia, quam pater uti Parochus obtinuit. Quod locum habet, etiamsi Parochiam, intermedia persona, obtinuerit. Non prohibetur autem, quo minùs possit esse capellanus amovibilis, ubi pater fuit pariter capellanus amovibilis. Itèm pater legitimus potest obtinere etiàm immediatè beneficium filii illegitimi defuncti. Insuper nepos legitimus ex patre illegitimo progenitus capax est beneficii, quod avus antea possedit. Capax pariter est beneficii, filius legitimè natus ex patre naturali legitimo.

Ex constit. S. Pii V. (27. Jan. 1571. *Quæ Ordini*), Clerici prohibentur scribere hæredes suos filios illegitimos, aut quidquam tam ex Ecclesiæ redditibus, quàm ex patrimonialibus bonis proveniens iisdem testamento relinquere, eorumque filiis ac descendantibus, consanguineis, et affinibus, sive dicti filii illegitimi superstites sint, sive antè obierint. Probat tamèn Pontifex (*cit. cap. n. 21.*) his filiis deberi alimenta non minùs ex bonis patrimonialibus, quàm ex redditibus ecclesiasticis: et quoad eorum consanguineos Pii Constit. intelligendam esse tantùm de legato iis eo consilio relicto, ut in eorumdem filiorum illegitimos commodum cedat. **

472. Q. VI. *An expositi, et hi, de quorum legitimis natalibus dubitatur, habendi sint pro legitimis, ut sine dispensatione ad ordines admitti possint?*

R. Affirmativè. Ità Menoch. Barbos. et alii contra Covarruv. Garc. etc.; nam in dubio fortior est præsumptio pro legitimitate: tum quia peccatum excludit, et concernit favorem prolis (c. *14. qui fil. legit.*); tum quia onus probandi transfert in adversarium (c. *5. 11. eod.*); tum quia legitimè nati sæpè exponuntur, vel ob paupertatem parentum, vel ob aliam causam.